

No. 1081. 1465. 15. Oct.

B. Dietrich empfiehlt dringend das Gebet für Lebende und Verstorbene und verleiht denen, welche im öffentl. Gottesdienst und sonst vor dem heil. Sacrament und auf Kirchhöfen gewisse Gebete sprechen, Ablass von auferlegten Bussen.

Theodericus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis. Quum hortatur apostolus scribens ad Thimotheum¹⁾: orationes fieri pro regibus et singulis in sublimitate constitutis omnibusque hominibus, ut quietam et tranquillam vitam peragant in omni pietate, bonum hoc fore asserens et acceptum coram deo salvatore, qui omnes homines vult salvos fieri et ad veritatis agnitionem pervenire, ex hoc in nostra diocesi laudandam putamus missae conclusionem ad completorium, cum additur: Et famulos tuos dominum apostolicum etc., et synodali statuto ut fiat per sacerdotes annue publicatur. Sane ad hoc ipsum inducere cupientes devotum populum laicalem, quatenus ab omnibus fiat, quod in communem profectum noscitur institutum et multiplicatis sic orantibus facilius habeatur quod petitur, evangelica hic accedente veritate, si duorum oratio super terram consentientium dei pollicitatione de quacunque re petierint a patre coelesti habet impetrare²⁾, quanto amplius voluntatem omnium timentium se faciet dominus et eorum precem audiet in humilitate nubes penetrantem, et siquidem non omnia ad vota tunc concedit misericors sedule supplicanti. Haecenus idcirco more obtento salutari antiquitus quod in fine sermonum ad populum et divini seminis labore prout facultas suppetit laudabiliter terminato pro communi salute reipublicae, communis boni incremento et utriusque status personarum commodo, spiritualium et secularium, sublimium, subiectorum, iustorum et peccatorum, pro Romano pontifice, coetu cardinalium, diocesis antistite et toto clero, pro rege, principibus, provinciarum rectoribus et subditis cuiusque conditionis et singulis orthodoxis, pro generali denique pace, aëris temperie, terrae frugibus et quovis bono temporali ut oret populus salubriter incitatur, quatenus alter sic alterius communicet precibus, — antecessorum nostrorum bonae memoriae inhaerendo vestigiis per dominum vocatis ad onus pastorale cordi nobis est et animi nostri cura saluti animarum avidius intendere, et quantum possumus sanctae religionis cultum ad dei honorem et populi nobis ex alto commissi profectum consultius providere. Attendentes itaque pro omni statu viventium faciendam ut praemittitur orationem nonnunquam minus diligenter committi et exequi indevote, matura super hoc habita deliberatione, aliquorum etiam deo placere cupientium commoniti per pia vota decrevimus spiritualia dona super praemissis impertiri, ut clerici et quorum interest diligentius praemoneant et supplex populus ad dominum plus devotas preces dirigat et attentas. Cum sumus invicem membra, debemus utique ad salutem totius corporis ferventius anhelare; disposuit namque altissimus ut mereamur postulando accipere, quae ante saecula praedestinavit precibus obtineri. Volentes ideo ad singulos utriusque sexus et cuiuscunque conditionis homines nobis commissos thesaurum militantis ecclesiae ut dicitur spiritualiter pervenire omni-

1) 1 Tim. 2, 1—4. 2) Mtth. 13, 19.